



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Quæst. I. Quotuplex est materia Sacramenti Pœnitentiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

CAPUT III.

*De Materia & forma Sacramenti
Pœnitentiæ.*

Quest. 1. QUOTUPLEX est materia
Sacramenti Pœnitentiæ ?

S. Tho. 3. p. q. 84. art. 2. in corp. Resp. *Dicendum*, inquit Divus Thomas, quod duplex est materia Sacramenti Pœnitentiæ ; proxima & remota.

Quest. 2. Quænam est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ ?

Sess. 14. De Pœnit. cap. 2. Resp. Actus pœnitentis, ut innuit Concilium Tridentinum his verbis : *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes dicuntur.*

Ratio autem cur Concilium dixit, hos actus esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, non ita intelligenda est, quasi velit eos non esse veram materiam, sed voluit dumtaxat indicare discrimen, quod inter hujus, & aliorum Sacramentorum materiam intercedit, in hoc consistens, quod aliorum Sacramentorum materia est res aliqua materialis & sensibilis, cujusmodi est aqua in Baptismo ; Sacramenti verò pœnitentiæ materia sunt actus pœnitentis, quorum præcipuus, ipsa scilicet contritio, est insensibilis, cum actus sit internus ; & sic non ita propriè appellantur hujus Sacramenti materia.

Sacramenti verò Pœnitentiæ ; ait Catechis-